Emulſio Balſamica, Antiſpasmodica, Demulcens, Laxans, ad Colicam Spasmodicam & Calculum Renalem.

℞. *Ol. Amygd. d. rec. pr.* unc. j.
Balſ. Peruv. gutt. xxx.
Syr. Althaeae Fern. unc. j.
Vit. ov. n°. j.

Accurate terendo ſubactis admiſce paullatim

Aq. ſtill. Foenicul. unc. iv.
Petroſel. unc. viij.

Ut F. ſ. a. Emulſio. D.

S. *Capiat aeger quavis* ½ *hora cochleare* j.

De

Mixturis Internis.

269. MIXTURAE ſunt medicamenta interna, fluida, ſolâ variorum inter ſe miſtione parata. Unde facile a prioribus (221. 234. 245. 256.) diſtinguuntur.

270. Tres earum (269.) ſpecies uſitatae ſunt. (1.) Diffuſior, quae *Julapium* audit. (2.) Media, quae proprie *Mixtura* vocatur. (3.) Contracta, cui nomen varium; ut infra patebit. De ſingulis ſeorſim.

De

Julapio.

271. JULAPIUM, *Julepus Recentiorum*, eſt Mixturae ſpecies dilutiſſima, ferè diaphana, ex ſapore, odore, colore, jucundioribus conflata, potum hinc ſuavem exhibens pluribus doſibus deſtinatum. *Veterum* ergo *Julepus*, qui dilutior Syrupus eſt, a noſtro diſcrepat ſpiſſitate, atque hodie inter officinalia relatus vix adeo ex tempore parandus praeſtituitur.

272. MATERIES in genere vel *Excipit*, vel *Excipitur*.

α. *Excipiens*, ut Baſis vel Menſtruum, eſt liquor tenuis, limpidus, ſaepe aquoſus, non injucundus, ſolvendis ac diluendis reliquis inſerviens.

β. *Excipienda* ſunt, quaecunque Excipiente (α.) ſoluta aut permiſta gratiam huic & virtutem expetitam conciliare vel intendere queunt.

273. DELECTUM utriusque (272. α. β.) limitant dotes in Julapio requiſitae. Notetur ergo

α. Dari id frequentiſſime loco potus familiaris, aut grati vehiculi medicamentis aliis ſuperbibendi, hinc in eo deſiderari maxime tenuitatem, claritatem, ſaporem reficientem, ex dulci acidum, aliumve non injucundum, odorem ſuavem vel nullum, colorem nullum vel hilarem, rubellum praeprimis. Quare

β. Ex-

β. *Excipiens* ferè praebent liquores, ſapore, odore, colore, nullis, aut in univerſum ſuavibus, ſaltem non deteſtabilibus, praediti.

1. Aqua ſimplex, cocta, prae reliquis aptiſſima, cito parabilis, excipiendis pulchre ſe adcommodans, nec horum dotes deſtruens, aut vi aliena pervertens.

2. Vel Aqua ſtillatitia, officinalis, iners: ut Acetoſae, Borraginis, Bugloſſi, Endiviae, Lactucae, Sempervivi, &c. His tamen ſimplex (1.) praeferenda; quum ferè ſemper deſtillationem ſapiant. Aut alia ſapore & odore leni ſuavior: ut Meliſſae, Roſarum, Ceraſor. nigr. Citri totius, &c.

3. Vel infuſum aqueum (221.), jucundius, promtè parabile: ut Flor. Tunicae, Roſar. Violar. Bellidis, Rhoeados, Pomor. Citrei, aut Conſervarum ſimilium, &c.

4. Vel Decoctum (234.) ſimile, dilutum: ut Hordei, Rad. Scorzoner. Cornu Cervi, Eboris, Paſſular. Tamarindor. Panis, &c.

5. Vel Vinum Rhenanum, Moſellanum, aliudve acidulum, vel & dulce Gallicum, Hispanicum, Canarienſe, &c. quae ſcopo cardiaco aptiora, cum motus humorum paullò auctior non nocet.

6. Vel Phlegma Vitrioli dilutius, aut Serum Lactis tenue, acidulum. Hoc tamen probe purum, nec turbidum, requiritur.

7. Vel

7. Vel denique hactenus (1 ad 6.) recenſitorum aliqua conjunctim.

γ. *Excipienda* (272. β.) ejusmodi hic conveniunt, quae dum medicata ſua virtute indicationi ſatisfaciunt, ſimul & ſuavitatem excipientis augere, & integre in hoc diſſolvi, aut ſaltem tenuiter cum eodem permiſceri queant. Qualia ſunt

1. Aquae ſtillatitiae aromaticae, fortiores: ut Cinnamom. Caryophyll. Pulegii, Majoran. Roſmarin. Florum & Cort. Arant. Citri, &c. Quo & Compoſitae multae, officinales, mero ardente Spiritu non acres, pertinent. Quandoque & Vinum ſimile (β. 5.), niſi id fuerit excipiens.

2. Succi dulces, acidi, minimum non nauſeoſi, nec admodum turbidi, recentes, depurati, Fructuum horaeorum: uti Ceraſor. Ribium, Berberum Rubi Idaei, Citri, Arantior. Granator. Cydonior. Pomor. redolent. Gran. Kerm. &c. Quin & aliorum vegetantium: ut Acetoſ. Acetoſell. Lactuc. Taraxac. Plantagin. &c. Hos verò dum praeſtituis, vide, an recentes eo tempore acquirere liceat (247. ϰ.): quanquam & ſervari in officinis diu queant incorrupti (252. ε.).

3. Tincturae Acido-aquoſae, rubrae: v. g. Florum IV Cordial. Tunicae, Bellidis, Aquileg. Rhoeados, Granor. Kermes, & ſimilium. Atque hactenus quidem (1. 2. 3.) enumerata, cum dilutiora ſint, ſaepiusque & Excipientium vices impleant (β.

2.

2. 3. 5.), potius ut Excipientia ſecundaria conſiderari poſſunt, quoties majore copia ingrediuntur.

4. Tincturae Spirituoſae, ſuaviſſimae: ut Cort. Cinnamom. Citri, Arantior. Caſſiae, Croci, &c. ubi ſtimulo quodam opus.

5. Aut Spiritus Ardentes, ſimplices, vel jucundiore vegetantium ſpiritu rectore per deſtillationem imbuti: ut Roſar. Angelic. Lavendul. Meliſſ. Cinnamon. Citri, Arantior. Ceraſor. nigror. Aq. Vitae Matthioli, Meliſſ. magiſtr. Balſam. Embryon. Sal volat. oleos. &c. quorum uſus in ſimili caſu (4.) obtinet.

6. Frequentius tamen Spiritus Acidi Vegetabiles, vel Foſſiles: Acetum ſtillatit. Spiritus Salis. Nitri, Vitrioli, ſinceri vel dulces, Sulphuris, Clyſſus Antimon. &c.

7. Syrupi officinales, omni dote jucundiſſimi, excolores, rubri, aut ab acido rubentes, e ſuccis fructuum (2.) parati, aut alii: ut Flor. Acaciae, Roſar. Violar. Tunicae, Borragin. Rhoead. Herb. Capillor. Vener. Meliſſae, Cort. Cinnamom. Citri, Granor. Kermes, Caryophyllor. &c. Quo pertinent & Brodia Conditurarum, & Julepi officinales, tum Oxymella, Oxyſacchara.

8. Rob & Gelatinae e ſuccis fructuum (2.) facta: quibus & accenſenda, quae de Cornu Cervi paratur, nonnunquam hic uſitata.

9. Saccharum vel ſimplex album, vel varia arte, una

unà cum aliis non injucundis, in Tabulas, Rotulas, Elaeosacchara, &c. redactum.

10. Salia sicca: quorum tamen vix nisi Neutris, atque haec inter soli fere Nitro, Sali Prunellae, aut Polychresto, locus hic est.

δ. Pulverulenta, non solubilia, raro admiscentur: crassiora saltem nunquam: aliquando tamen subtilissimè laevigata, minus ponderosa, non ingrata, aut saporis & odoris expertia, praecipuè Absorbentia Terrestria, Corallia v. g Margaritae, Cornu Cervi, &c. Ab his nihilominus etiam abstinendum, si Acida accedant ob (101. 102.). Foetida etiam, v. c. Castoreum, in nodulo ligata atque in liquore Julapii suspensa, ut auram modo graveolentem emittant, nec nimis turbent aut sapore quoque injucundo adficiant, nonnunquam admittuntur.

ε. Conservae vix usum habent, nisi pro paranda Infusi specie (β. 3.).

ζ. Electaria, Extracta, Tincturae, Essentiae, Spiritus, & similia, quae spissitate, colore, sapore, odore, Julapium injucundius faciunt, excluduntur (α.). Excipe saltem Confectiones quasdam gratiores: ut Alkermes, Hyacinthor. &c.

η. Scito tamen, & nimia peccari posse suavitate (85. 100. 101.). Cave ergo, ne dulcibus, tum ne acidis, abutaris. Conservae, Syrupi, Rob, Saccharata, dum ingrediuntur copiosa, Saccharo superaddito non opus. Acidum Fossile defectum Vegetabilis saltem suppleat.

9. Ubi

ϑ. Ubi Acidum Foſſile (γ. 6.) & Salia (10.) ſimul jungis, memento dictorum (102. μ.).

ι. Interim delectus regulae huc usque (α ad ϑ.) propoſitae non adeo omnes & ſingulae ſtringunt, quin celebres etiam practici multis easdem modis transgrediantur. Videas Mixturas ab ipſis ad Julapiorum titulum referri, in quibus concinnandis nullam habuerint odoris, ſaporis, coloris, rationem; modo conſiſtentiae fuerint tenuioris, non admodum turbulentae, virtutisque diffuſioris.

κ. Numero denique conciſo & ſimplicitati hic ſtudendum: neque enim recenſitorum (β. γ.) ſingula congerere, ſed quaedam ſcopo aptiora arte conjungere expedit. Naturae plerumque amiciſſimum eſt, ipſique palato ſuavius, quod non multorum miſtione natum (31.).

λ. Ex hactenus dictis patet, *Hydroſaccharum* & *Oxyhydroſaccharum* ſpecies eſſe Julapiorum.

274. Ordo praemittit ferè liquidum excipiens (273. β.); huic proxime ſubjungit aliud ſecundarium (ibid. γ. 1. 2. 3.); tum excipienda ponit juxta (106. β. γ. ε.). Quandoque & ultimus excipienti datur locus: quod tamen minus convenit, ſi Infuſum vel Decoctum magiſtrale (273. β. 3. 4.) ejus vicem praeſtat.

275. Dosis vel pondere definitur ad unc. j. ij. iij. &c. vel menſurâ, ad cyathum v. g. aut infantibus ad cochlearium. Saepe autem, loco potus fami-

miliaris, quantum urgens ſitis exigit, conceditur: ubi tamen plerumque ſatius eſt, hauſtu parciore, tantò frequentius repetito, uti, quam grandiore ſimul ingeſto inundare ſtomachum.

276. QUANTITAS GENERALIS, pro doſis (275.) mole, uſûs frequentia, ſiti magis minusve intensâ, major vel minor, ad libr. j. ij. iij. iv. usque augetur: quin vel infantibus quoque vix librâ dimidia minor datur. Neque hic corruptio facilis, ut in Emulſis (263.), arctiores limites ponit.

277. PROPORTIO mutua ingredientium in genere quidem talis ſtatuitur, ut capiantur

Ad Excipientis (273. β.) - libram j. vel uncias xij.
Aq. ſtillat. fortiorum (ibid. γ. 1.) – unc. j. ij.
Succorum (ibid. 2.) – – – – unc. ij. iij.
Tinctur. Acido-aquoſ. (ibid. 3.) – unc. j. iß.
Spirituoſorum (ibid. 4. 5.) – – drach. ij. vj.
Syrup. Brodior. Julepor. Rob. Gelatinar. &c. (ibid. 7. 8.) – – – unc. ij. iij.
Confectionum (ibid. ζ.) – – – drach. ij. vj.
Salium (ibid. γ. 10.) – – – drach. ß. j.
Pulverum (ibid. δ.) – – – – drach. j. ij.
Aceti deſtillati (ibid. γ. 6.) – – unc. j. iß.
Acidorum Foſſilium (ibid.) pro varia fortitudine & puritate – – gutt. x. drach. j. vel q. ſ. ad gratum acorem.
Sacchari (ibid. 9.) – – – – unc. j. iß. vel q. ſ. ad gratam dulcedinem.

Circa haec tamen notari velim, praeter jam dicta (273. κ.). α. In-

α. Indicationum, guſtuum, aliarumque conditionum varietatem tot parere in caſibus ſingularibus exceptiones; ut ſaepius quam longiſſime a modo data generali regula deflectatur. Hinc

β. Ubi excitandum, caleſaciendum, Vini, Aromaticorum, Spirituoſorum (273. γ. 1. 4. 5.) non raro multum augeri proportionem: ut ideo vel Vinum quoque ſolum tum quandoque Baſin conſtituat (ibid. β. 5.).

γ. Infuſa vel Decocta magiſtralia (ibid. 3. 4.) ſi excipientis loco adhibentur, requiri dilutiora. Unde ſpecierum unc. j. ad menſtrui libr. j. ferè ſufficit. (Vid. Hiſtor. Infuſ. & Decoctor.).

δ. Salium (273. γ. 10.) parciorem ideo addi copiam, ne amarore aut ſalſedine injucunditatem creent.

ε. Pulverum, Rob, Gelatinarum, & ſimilium majore quantitate juſtam Julapii conſiſtentiam (271.) perverti.

ζ. In proportione Dulcium & Acidorum determinanda tenendam eſſe regulam (273. η.). Ipſum quandoque excipiens acidum aut dulce eſt (ibid. β. 3. 4. 5. 6.). Acidum Foſſile copioſius auſteritatem parit. Sacchari major quantitas, ut multis minus grata, ita ſanguinem ſolvendo in ſudorem pronos diffluere facit.

278. SUBSCRIPTIO ponit: *M. F. Julapium. D. ad Vitrum.* Ubi autem obtinet (277. γ.), Infuſionis vel Decoctionis modus, ac deinde admiſtio reli-

quorum, juxta ante (229. 241.) dicta, injungitur prius: quamquam saepissime Infusa vel Decocta hic usitata, tanquam officinalia, praescribantur, ut quorum praeparatio pharmacopoeo satis nota sit, aut in dispensatoriis descripta. Alioquin enim Infusi potius aut Decocti, quam Julapii nomen merentur.

279. SIGNATURA ex (113. 271. 275.) facile patet. Monetur tamen quandoque, dum minor humorum meabilitas actu frigida prohibet, Julapium calidum bibendum esse. Potionem frigidam plerumque satis amant aegri; ut vix mandato peculiari opus sit.

280. USUS ut jucundissimus, ita maximè commendabilis est in Acutis, & Chronicis; ubi calor aut frigus nimia, corruptio humorum alcalina, lentor, sitis vehemens, vires collapsae, &c. Petuntur & hinc Vehicula aliis medicamentis vel facilius ingerendis, vel promovendis, aptissima. Infantibus denique & delicatis gratior haec formula est, & in universum ob dotes sensibus minus infestas (271. 273. *a.*) valde frequentata.

281. SPECIMINA sunto.

*

Julapium Antiphlogisticum, Antisepticum, sitim & aestum temperans, in Febribus biliosis, putridis, Variolis &c.

℞. *Aq. Pluviae, pur. cect.* unc. XXIV.
stillat. Naph. unc. ij.

Syr.

Syr. Violar. unc. iij.
Rub. id. unc. j.
Spir. Vitriol. q. ſ. ad gratiam.
M. F. Julapium.

S. Ut ſupra. *Bibat, quantum ſitis exigit.*

*

Julapium in Frigore Febris Intermittentis conveniens. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 120.

℞. *Aq. decoct. Hord.* unc. xxx.
ſtillat. Caryophyll. arom. unc. ij.
Oxymel. ſimpl. unc. iij.
Sal. polychr. dr. j.
M. F. Julapium.

S. *Capiat unc.* ij. *omni* ¼ *horae, calidè valde ſorbendas.*

*

Julapium Cretaceum, Acido oppoſitum, Demulcens, Adſtringens.

℞. *Cretae puriſſ. lot.* unc. j.
Sacchar. albiſſ. unc. iß.
Accurate contritis ſenſim admiſce
Decoct. Corn. Cerv. libr. ij.
Tinct. Cort. Cinnam. unc. ß.
Ut F. Julapium.

S. *Doſis cochlear.* j. *quavis hora: lagena autem ante uſum ſemper concutiatur.*

*

Julapium Roborans, Calefaciens, Carminans, Acidum temperans.

℞. *Aq. ſtillat. Ceraſor. nigror.* unc. viij.

Aq. ſtillat. Pulegii unc. ij.
Cinnamom. unc. iß.
Vitae Matthioli. unc. ß.
Margarit. ppt. drach. iß.
Confect. Alkermes drach. ij.
Elaeoſacchar. Citri drach. iij.
M. D. ad vitrum.

S. *Julapium Perlatum, de quo capiat unc.* j. *omni ſemihora in languore: aut ſit pro vehiculo alterius medicamenti.*

*

Julapium ex decocto magiſtrali, Cardiacum, ad Dolores a Partu. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 219.

℞. *Hord. mund.*
Avenae integrae ana unc. j.
Cum Aq. decoct. ſpatio ½ horae lib. iij. admiſce
Vini Rhenan. lib. j.
Aq. ſtillat. Cinnamom. unc. ij.
Syrup. Kermeſin. unc. iß.
M.

S. *Hujus unc.* ij. *ſuperbibat ſingulis doſibus Mixturae Anodynae, ibidem deſcriptae, donec ſopiatur dolor.*

*

Julapium ſpecie infuſi, Antiphlogiſticum, in Variolis utile. Vid. ibid. p. 238. & ſeq.

℞. *Flor. Papaver. Errat.*
Tunicae ana m. ß.

In-

Infunde cum *Aq. purae, calidae*, unc. xx. ſtent vaſe clauſo, calore leni, per 3. horas. Colaturae expreſſae adde

Spir. Sulphuris per. camp. gutt. xx.
Sal. Polychreſt. drach. iß.
Syrup. Flor. Rhoead. unc. iß.
M.

S. *Bibat, quantum lubet.*

*

Aliud, Spiritus excitans in Gangraena a cauſa calida, temperie alcalina. Vid. ibid. p. 95.

℞. *Rob Ribeſiorum*
Berberis ana unc. ij
Spir. Salis. drach. ß.
Aq. ſtillat. Meliſſae. unc. vj.
Vini Rhenani. unc. x.
M. F. Julapium.

S. *Capiat unc.* j. *omni hora.*

*

Julapium Confortans in metu Abortûs ab incommodis Graviditatis, ad exemplum. ibid. p. 217.

℞. *Vini Rhenan.* libr. ij.
Aq. ſtillat. Cort. Citrei. unc. iv.
Tinctur. Granor. Kermes unc. ij.
Cinnamom.
Balſam. Embryon. ana unc. j.
Gelatin. Cornu Cerv. Citrat. unc. iß.
Syrup. Rubi Idaei unc. ij.
M. F. Julapium.

S. *Capiat unc.* iß. *in languore.*

*

Julapium Antihyſtericum.

℞. *Aq. ſtill. Rut.*
Puleg. ana unc. vj.
Spir. Matrical. unc. j.
Caſtor. in nod. lig. & ſuſpenſ. dr. j.
Syr. Poeon. unc. iß.
M. F. Julapium. D.

S. *Capiat cochleare quavis ſemihora in paroxyſmo.*

*

Julapium Moſchatum, Antiſpasmodicum, ad Singultum, &c. Vid. Fulleri Pharm. Extemp. p. 197.

℞. *Aq. Roſ. Damaſcen.* unc. vj.
Naph. unc. j.
Cinnam. fort.
Poeon. comp. ana unc. ij.
Moſchi.
Ambar. griſ. (*cum Sal Corn. Cerv.* gr. iv. *ſubact*) ana gr. iij.
Croci minutim ſciſſi & in ſindone ligat. ſcr. j.
Ol. ſtillat. Nuc. Myriſt.
Caryophyll. ana gutt. j.
Confect. Alcherm. ſcr. iv.
Syr. Caryophyll. unc. j.
M. D.

S. *Quovis bihorio aliquot cochlearia ſumantur.*

De

De

Mixtura.

282. MIXTURA MEDIA (270. 2.) eſt Mixturae (269.) ſpecies, Julapio (271.) minus diluta, minore mole efficax, quacunque dote injucundiora etiam admittens, una vel pluribus doſibus, haud tamen per guttas determinatis, conſtans. Ex quo productorum Chemicorum uſus in Medicina invaluit, iſtud remedii genus, cito parabile, commodeque ingerendum, demum excogitatum eſt.

283. MATERIES, ut (272.), duplex eſt, *Excipiens* vel *Excipienda.*

α. *Excipiens* eſt liquor quicunque, interno uſui aptus, non minima doſi efficax (282.), ſaepiſſime hinc Aquoſus, quandoque & Vinoſus aut Spirituoſus: ut Aquae ſtillatitiae, ſimplices, compoſitae, vinoſae, ſpirituoſae; Decocta; Infuſa; Vina, &c.

β. *Excipienda* ſunt in genere ſicca, mollia & liquida omnia, (138. α. β. γ.) memorata, & quaecunque alia interno uſui dicata.

284. DELECTUM ſola ferè hic figit virtus medicata. Neque enim adeo tenuitatis, claritatis, ſaporis, odoris, coloris, ratio habetur, ut in Julapio (273.): quanquam & haec tamen prorſus negligenda non ſunt; praecipuè verò ſpiſſitudo, cujus exceſſus valde hic incommodat. Quin & aequabili omnium ingredientium commixtioni, quantum pote, ſtudendum. Pauca hinc addo.

α. Aquae ſtillatitiae prae reliquis frequentiſſimè excipientis loco ſerviunt; quum & cuicunque fere ſcopo congruae proſtent, & tenuitate ſua excipiendis aliis magis aptae ſint. Inertiores igitur efficacioribus junguntur, ubi virtus paullo magis diffundenda.

β. Decocta & Infuſa, quorum praeparatio ſimul adſcribenda eſt, huc non pertinent, ſed ad (221. 234.): haud enim alia ad Mixturas adhibentur, niſi quae tanquam officinalia praeſtitui poſſunt, nec ſubſcriptione, qua praeparationis modus indicetur, egent (278.). Sint autem ſatis tenuia, ſi ſiccae aut ſpiſſae materiae pluſculum recipere debent.

γ. Pulverulenta, non ſolubilia, ſi quae huc, uti creberrime fieri ſolet, accedunt, requiruntur ſaltem minus craſſa, ſubtiliora; ne deglutienti moleſtiam creent.

δ. Exulent quoque ponderoſiora ſpecifice, ſi in excipiente ſolvi nequeunt; quum citiſſime fundum petant, eoque doſes virtute minus aequales efficiant: licet interim ferri quodammodo poſſint, ſi doſis unica totam Mixturam abſolvit, aut ſi graviora interventu aliorum ſuſtinentur. Receptaculi etiam concuſſio paullo ante uſum huic vitio ex parte medetur.

ε. Gummoſa, quae aquis ſoluta mucilaginem fundunt, vel omittenda, vel miſcenda parcius; ne lectorem hic ingratum pariant.

ζ. Pinguia, ut aqueo excipienti intermiſceantur aequabilius, ſaponem poſtulant intermedium. Ad te-

tenaciora igitur, v. g. Sperma Ceti, Terebinthinam, & ſimilia, utimur Vitello Ovi; ad liquidiora, aut quorum parcior modo quantitas accedit, v. g. Olea Aromatica, preſſa, ſtillatitia, Balſama liquida, nativa, artefacta, &c. Saccharum ſufficit (260. γ. η. ϑ.).

η. Gummi-reſinae, ut Ammoniacum, Galbanum, &c. vino vel aceto ut plurimum ſoluta prius adhibentur. Quin & tritu exactiore cum aquoſis concorporari poſſunt, maxime ſicubi parciore fuerint copia, & Aquae oleoſa aut ſpirituoſa materia impraegnatae (264 ζ.).

ϑ. Cavendum hic tanto magis, ne congerantur, quae inter ſe miſta effervescunt, praecipitantur, mutantur incongrue, aut deſtruuntur; quia forma fluida his motibus excitandis plerumque aptior. (Vid. 97. ad 103.). Eſt tamen, ubi Medicus data opera talia conjungit, ut ſcopum ſuum obtineat felicius.

ι. Saporem, odorem, colorem, ſi corrigere paras, memento (85. 99. 100. 101.); ne vel ſcopo excidas, vel vanitatem prodas.

κ. Tandem, ut ubique, ita & hic brevis eſto & concinnus, non adeo ingredientium numero, quam efficaciae & nitori compoſitionis, ſtudens; ut perito facile ſit ſcopum eruere: Chaos aliter potius, quam Mixturam, facies (31.).

285. ORDO idem, nec magis conſtans hic obſervatur, quam in Julapio (274.)

286. DOSIS, minor plerumque, quam Julapii (275.), cochleari j. vel ij, aut vasculo Theae potui dicato, aut pondere drach. j. ad unc. ß. determinatur. Quandoque tamen & ad cyathum, aut unc. j. ij. iij. adscendit: quod maxime obtinet, si unicus tantum Haustus exhibetur. Alias & per portiones totius Mixturae definitur dosis; ut dimidia, tertia, quarta pars simul capienda jubeatur: ubi cavendum, ne portio molem Haustûs excedat. Ceterum & hic ex usu est observasse dicta (67. δ. ε.).

287. QUANTITAS GENERALIS alias unam modo dosin (286.) complectitur, alias plures. Si prius; *Haustus* vocatur, qui unc. iij. vix major sit (ibid.): si posterius; quandoque unc. vj. viij. imò libram Mixtura excedit, prout numerus dosium, juxta conditiones (67.), minor majorve requiritur.

288. PROPORTIO mutua ingredientium hic maxime determinatur tum ex virtute medicata singulorum, & seorsim, & respectu mixtionis considerata (87. α. β.), tum ex justa Mixturae consistentia (282. 284.), comparatis ad (286. 287.). Unde

α. Si nonnisi liquida excipienda (283. β.), consistentiae nulla habita ratione, virtuti saltem intentus tuam sequere indicationem.

β. Ubi autem & sicca & mollia (ibid.) accedunt, cavendum a nimia spissitudine (284.). Unde tum haec ferè obtinet generalis proportionum regula, quae

quae quidem limites ponit extremos, quos egredi absque neceſſitate nefas eſt. Nimirum admittit

Liquorum qualiumcunque, ſimul ſumtorum, ut qui pro excipientibus haberi poſſunt (273. γ. 3. 283. α.) —	uncia j.
Mollium: v. g. Electarii, Rob, Conſervae, Pulpae & ſimilium. — —	drach. j.
Siccorum: ut Extracti, Succi denſi, Maſſ. Pilul. Pulver. &c. — —	ſcr. j. dr. ß.
Sacchari. — — — — — —	dr. j. iß.
vel.	
Syrupi ſimiliumve dulcium. — —	dr. j. iij.

γ. Augeri ergo poteſt mollium quantitas ad duas etiam drachmas; ſiccorum verò ad drach. j, ſi non utrumque, ſed alterutrum ſaltem genus recipiatur.

δ. Quin & excipientis conſiſtentia diſcrepantiam hic facit; prout vel tenuior fuerit liquor, vel infuſum decoctumve ſpiſſius (273. α.).

ε. Vide quoque, an excipienda liquida (ibid. β.). accedant: haec enim excipientium vice funguntur, hinc majori ſpiſſiorum quantitati locum dant.

ζ. Nec obſcurum eſt, variam ſiccae materiae gravitatem, & conſiſtentiam minus aut magis bibulam efficere, ut ejusdem plus minusve eadem liquoris quantitate recipi poſſit; quum ex volumine potiſſimum ſpiſſitas inducatur.

η. Salium ſiccorum Proportio invenitur ex eorum efficacia, & magis minusve facili ſolutione: licet tamen

tamen haud ſemper plenè ſoluta hic requirantur, ſed, Pulverum inſtar, uſus tempore, agitando diffundi ac intermiſceri queant minus diſſoluta.

9. Sacchari & Syruporum quantitas nonnunquam arbitrio pharmacopoei committitur, ut, quantum ſatis eſt ad gratiam, ſuperaddat. Tum vero obſerventur dicta (277. ζ.). Augetur ea quandoque ultra terminum poſitum (β.), ubi Reſinoſis, Balſamicis, Oleoſis, &c. cum aqua conſtantius jungendis conferre debet; quum paullo major Mixturae ſpiſſitudo ſeceſſui etiam magis obſtet. Cavendum tamen, ne aut craſſitie, aut dulcedine, nimia peccetur.

ι. Hauſtus quoque (287.) auctiorem fert ſiccorum & mollium proportionem, ſi doſis efficax id poſtulat. Plurimi malunt parcam ſpiſſioris molem, quam grandem, aut plures liquidioris doſes ingerere.

289. SUBSCRIPTIO mandat. *M. F. Hauſtus*, ſi pro una doſi eſt (287.): ſi pro pluribus, ſolum *M.* ſufficit. Adjungi poteſt *D. ad Vitrum.* Et hoc exactè obthurandum jubetur, ſi diſſipatio vel corruptio ab aëre liberiore metuitur. Aliquando excipienda ſicca ſeorſim, Pulverum ſpecie (116.), uti (252. δ. *in fine.*), dantur, ut demum paullò ante uſum intermiſceantur liquidis. Duabus igitur formulis tunc utimur. Obtinet id, ſi ex mixtione naſcens effervescentia comitari uſum debet, aut aequaliores majoresve Pulverum doſes ſimul ingeri ſcopus poſtulat. Vid. Specimina.

290. SIGNATURA ex (113. 282. 286. 287.) in-

intelligitur. Monendum quandoque, calidé an frigidé capiendae ſint doſes (Vid. 133. γ.). Vehiculum ſuperbibendum quandoque praebent Julapia (273. α.): gratioribus tamen, niſi alia id exigant, nullo opus. Ubi obtinet (289. *in fine.*), utendi modus pro ratione determinatur.

291. USUS Mixturae ut frequentiſſimus eſt, & perquam facilis plerisque, ita aequè univerſalis, ac infuſi (232.); imò vel magis etiam, quia citiſſime parabilis illa ſubitaneis quoque in caſibus promptam fert opem: ut ideo vix morbus detur interna poſtulans, quin hanc admittat formulam.

292. SPECIMINA ſunto.

*

Hauſtus Ant-emeticus. Vid. H. Boerh. Mat-Med. p. 129.

℞. *Succi recent. Citrei* unc. ß.
Vini Rhenan. unc. j.
M.
Salis Abſinthii drach. j.
D. utraque ſeorſim.

S. *Pulvis miſceatur liquori, moxque in ipſo actu effervescentiae hauriatur.*

*

Mixtura Alcali oppoſita, Saponacea, Abſtergens. Vid. Ibid. p. 51.

℞. *Oxymell. Squillit.* unc. iij.
Aceti Squillit. drach. ij.
Myrrhae Aceto in Tincturam ſolutae drach. j.

Aq.

Aq. stillat. Cichorei. unc. vj.

M.

S. *Capiat. unc. ß. omni hora.*

*

Mixtura Cardiaca, pretiosa, Calefaciens, Diaphoretica.

℞. *Infus. Lap. Porcini Malacc. in Aq. Card. Bened. fact.* unc. iv.
Vin. Rhenan. generosiss. unc. ij.
Aq. stillatit. Cinnamom. unc. ß.
Extract. Essential. Croci gutt. iv.
Confect. Alkermes drach. vj.

M.

S. *Sumat omni semihora cochlear.* j.

*

Mixtura Opiata, Acidum temperans, Roborans, ad Dolores a Partu. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 219.

℞. *Lapid. Cancror.* drach. iij.
Corall. rub. drach. ij.
Margarit. ppt. drach. j.
Laud. puri. gr. iij.
Syrup. Kermes. drach. vj.
Aq. stillat. Cort. Citrei
Melissae
Majoranae ana unc. iij.

M.

S. *Capiat cochleare omni ¼ horae, donec sopiatur dolor, superbibendo unc.* ij. *Julapii Ibid. descripti.*

Mix-

*

Mixtura Resolvens, Saponacea, Stimulans, Emmenagoga. Vid. Ibid. p. 18.

℞. *Aq. stillatit. Rutae.* unc. xij.
Borac. Venet. drach. ij.
Sal. volat. oleos. drach. iij.
Mellis puriss. unc. iij.
M.

S. *Capiat unc.* j. *omni hora diei.*

*

Mixtura Adstringens, ad Haemoptysin. Vid. ibid. p. 195.

℞. *Aq. stillat. Flor. Rhoeados.*
Plantag. ana unc. iv.
Extract. Tormentill.
Bol. Armen. laevig. ana drach. iß.
Lap. Haematit. ppt. drach. j.
Syr. Myrtin. unc. j.
M.

S. *Capiat omni hora unc.* j. *concusso prius vitro.*

*

Haustus Emeticus, Antimoniatus, fortis, pro Adulto.

℞. *Oxysacchar. Emetic. Ludovic.*
Oxymell. Squillit. ana drach. vj.
Aq. stillat. Cinnamom. unc. j.
M. F. Haustus.

S. *Sit pro dosi.*

Hau-

*

Hauſtus Purgans, in Febre Intermittente utilis.
Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 132.

℞. *Pulver. Cornachin.* drach. ß.
Elix. Propriet. cum Sale Tart. ppt. gutt. XL.
Elaeoſacchar. Menthae. drach. j.
Aq. ſtillat. Menthae. unc. iß.
M.

S. *Capiat mane, die apyrexias, vacuo ſtomacho, pro doſi.*

*

Mixtura Balſamica, in Gonorrhoea conveniens.
Vid. ibid. p. 247.

℞. *Terebinth. vulgar. cum Vitell. Ovi ſubactae* drach. ij.
Extract. Rhei.
Sal Prunell. ana drach. j.
Syr. Althaeae Fernel. unc. j.
Infuſ. Glycyrrhiz. unc. x.
M.

S. *Capiat omni bihorio cochlear.* j. *probè concuſſa prius lagena: ſuperbibat cyathum Emulſi idonei, Ibid. p.* 246. *deſcripti.*

*

Mixtura Reſolvens ad Aſthma humidum.

℞. *Gumm. ammoniac.* dr. ij.
Oxymell. Squillit. unc. ij.
Accurate ſubactis paullatim admiſce
Aq. ſtill. Hyſſop. unc. iv.
D.

S. *Doſis quolibet trihorio cochleare.*

Mix-

Mixtura Diuretica.

℞. *Ol. ſtill. Juniper.* gtt. xx.
Syr. Alth. Fernel. unc. ij.
Contritis admiſce.
Sal. volat. ſuccin. gr. x.
Teſt. ovor. pulver. dr. j.
Aq. ſtill. Petroſel. unc. xii.
M.

S. *Capiat cochlearia* ij. *quavis hora.*

De

Mixtura Contracta.

293. MIXTURA CONTRACTA, *Guttae*, vocatur Mixturae (269.) ſpecies, minore, quam prior (282.), mole efficax, ex Spirituoſis maxime aut ejusmodi, quorum virtus exiguo ſub volumine latet, conflata, doſin plerumque per guttas determinatam ſaltem admittens. Chemicis ut originem, ita varia nomina, de quibus infra, debet hoc remedii genus.

294. MATERIEM ergo praebent ea modo, quorum doſis ad uſus internos efficax parvae molis eſt: uti ſunt Tincturae potentiores (221. 242.), Spiritus ſimiles, Eſſentiae, Quintae Eſſentiae, Elixiria, Balſama liquida, nativa, artefacta, Extracta Eſſentialia, Olea Aromatica, ſtillatitia, Liquores Salini coacti, & ſimilia.